



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum in diebus sacris impediatur petitio debiti? 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

vir, & cum minori Ecclesiæ utilitate: & idèd vxor nō potest huiusmodi votum facere sine viri consensu.

Ad secundum dicendum, quòd alter coniugum, dissentiens voto continentiaē alterius, non peccat: quia non dissentit vt bonum illius impediatur, sed ne sibi præiudicium generetur.

Ad tertium dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd vnus absque consensu alterius potest vouere, quòd non petat debitum, non autem quòd non reddet: quia in primo vterque est sui iuris, sed non in secundo. Sed quia si alter numquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium nimis onerosum redderetur, dum oportet vnum semper confusionem debiti petendi subire: idèd alij probabilius dicunt, quòd neutrum potest vnus sine consensu alterius vouere.

Ad quartū dicendum, quòd sicut mulier accipit potestatem in corpore viri, saluo hoc, in quo vir tenetur corpori suo: ita etiā saluo hoc, in quo tenetur domino suo: & idèd sicut vxor non potest debitū petere à viro cōtra salutē sui corporis, ita nec ad impediendū hoc, in quo domino tenetur. Sed* propter hoc nō potest dominus prohibere quin debitum reddat.

q. 51. ar.
2. ad 3.

A R T I C. V.

Utrum in diebus sacris impediatur petitio debiti?

267

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd temporibus sacris non debeat aliquis impediri, quin debitum petat. Tunc enim est subueniendum morbo, quando inualefcit. Sed possibile est, quòd in die festo inualefcatur concupiscentia. Ergo & tunc debet ei subueniri per debiti redditionem.

¶ 2 Præterea, Non est alia ratio quare non sit petendum debitum in diebus festiuis, nisi quia sunt orationi deputati. Sed in illis diebus sunt horæ determinatæ orationi. Ergo alijs horis licet debitum petere.

S E D contra, Sicut aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris, ita aliqua tēpora sunt sacra pro-

propter eandem rationem . Sed in loco sacro non licet petere debitum . Ergo nec in tempore sacro .

RESPONDEO dicendum , quòd actus matrimonialis quamvis culpa careat , tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem , hominem reddit ineptum ad spiritualia : & ideo in diebus , in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum , non licet petere debitum .

Ad primum ergo dicendum , quòd tempore illo possunt alia adhiberi ad concupiscentiam reprimendam , sicut oratio & multa huiusmodi , quæ etiam illi adhibent qui perpetuo continent .

Ad secundum dicendum , quòd quamvis non teneatur omnibus horis orare , tamen tenetur tota die se conferuare idoneum ad orandum .

ARTIC. VI.

Vtrum petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet?

268

*lib. 1. c. 9.
non pro-
cul a pr.*

** Al. sa-
cramentis*

AD sextum sic proceditur . Videtur , quòd petens debitum in tempore sacro , mortaliter peccet . Gregorius * enim dicit in 1. Dial. quòd mulier , quæ nocte cognita est a viro , mane ad processionem veniens , a diabolo est arrepta . Sed hoc non esset , nisi mortaliter peccasset . Ergo , &c .

¶ 2 Præterea , Quicumque facit contra præceptum diuinum , mortaliter peccat . Sed Dominus præcipit Exodi 19 . Ne appropinquetis vxoribus vestris ; quando scilicet erant legem accepturi . Ergo multo magis peccant mortaliter , si tempore quo * sacris negotiis intendendum est , cum vxoribus viri commisceantur .

SED contra , Nulla circumstantia aggrauat in infinitum . Sed indebitum tempus est circumstantia quædam . Ergo non aggrauat in infinitum , vt faciat mortale , quod alias esset veniale .

RESPONDEO dicendum , quòd debitum petere in die festiuo , non est circumstantia trahens in aliam speciem peccati : vnde non potest in infinitum aggrauari .